

*Antherica succulenta capensia* tria valde similia.

*Anthericum frutescens* antequam in caulem adolevit.

*Anthericum aloides* cui folia semiteretia, laevia, apice teretia. hoc acauli. Bracteis brevissimis, margine sublanceatis. Scapus longissimus, basi triqueter. Pedunculi absoluta florescentia revoluti.

*Anthericum asphodeloides.* Folia margine scabra.

*Anthericum annuum.* Planta cum toto vix palmaris, quatenam horum sunt Tuae, melius ipse judicabis, qui has coram habes.

*Caucalis maritima* Tua, minime eadem est cum mea, quae longe aliena.

*Crotalaria laburnifolia.*

*Cuphea viscosa* exoptatissima erat, et planta et semina. Grates reddo devotissimas.

*Hedysarum alpinum*, non est meum, nec obscurum meum. Fructum exoptarem videre. Videtur mihi notum, sed remotus habito, in urbe, a museo praedio remotus, nec istuc venire possum per mensem adhuc, laboribus academicis detentus. Halleri figura exacte refert meum obscurum.

*Genistae sibiricae* figura optime repraesentat.

*Ornithogalum narbonense* eandem plantam cum pyrenaico esse persuasus fui a Gerard. prov. 150. confirmatus a D. Mygind, qui vix diversum asserit. An ut in *O. pyrenaico* (cui filamenta ad lentem breviter bifida Scop.) stamina similia occurrant in narbonensi?

Salviam, praeter *S. luteam* meam, floribus luteis nullam vidi. *Gentiana acaulis* et *Reseda phyteuma* pulchre delineata.

Fungus Tuus est magnifice monstrosus, sine dubio ad *Clavarias* referendus.

*Cycas*, strobilus masculus est magnitudine strobili *Pini sativae*, hinc in literis mitti nequit. Museo traditus volo mittere squamas aliquot Moneas proxime, ne obliviscar.

*Coryphae minoris* semina erunt exoptatissima. Describas